



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

5. Quomodo plagis & gladio cæsus miraculosè seruatus sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

non potuit; quapropter nec nocere illi in aliquo sunt ausi, sed in iro consilio, dimiserunt eum à se abire illæsum.

## CAP. V.

*Quomodo plagis & gladio casus miraculosè seruatus sit.*

**Q**ui inde transiens venit Thrianta, ibique dum prædicaret Verbum Domini, plurima multitudo Gentilium credidit ac Baptismi Sacramentum percepit. Quo in loco ipse diutius immorans, & non credentes instruere, etiam credulos in via veritatis, tam verbis quàm & exemplis, sedulus corroborare studebat. Cœperuntque plurimi bonam vitam Magistri, & errores Gentilium odio habere, & Christianam quam profitebantur Religionem deuota intentione venerari. Vnde contigit, vt quidam Discipulorum eius, diuino compuncti ardore, fana in morem Gentilium circumquaq; erecta cœpissent euertere, & ad nihilum prout poterant redigere. Quo facto, barbari qui adhuc fortè increduli perstiterant, furore nimio succensi, irruerunt super eos repentè cum impetu, volentes eos funditus interimere. Ibi que Dei famulum fustibus cæsum multis admodum plagis affecere. Quorum etiam vnus euaginato gladio super Seruum Dei irruit, conatus ei caput abscidere. Verùm

Beatus vir ipso in tempore capsam cum sanctis reliquijs in collo suspensam habebat: cumque ictus ferientis super collum eius decideret, corrigiam quidem capsae praecidit, ipsum verò in nullo penitus vulnerare potuit. Quo miraculo pagani exterriti, ipsum ac socios eius illaesos abire passi sunt, nec ulterius in aliquo eis molesti esse praesumerunt.

## CAP. VI.

*Quomodo à Karolo Imperatore in Saxoniam missus sit.*

**P**ost hæc verò gloriosissimus Francorum Rex Karolus, qui iam multotiens in gente Saxonum elaborauerat, quò ad fidem Christianæ Religionis conuerterentur; sed illi auersi semper cordibus susceptam fidem sæpius deserentes, pristinis magis implicabantur erroribus, auditâ famâ viri Dei, ad se eum accersiri præcepit. Quem ad se venientem honorificè ac reuerenter suscipiens, eius confabulationi ac doctrinæ libenter animum attendebat, probatumque sanctis moribus, ac fidei non fictæ constantiâ, misit in partes Saxoniae ad pagum qui dicitur VVigmodia, quò inibi auctoritate Regali, & Ecclesias instrueret, & populis doctrinam sanctæ prædicationis impenderet, atque viam salutis æternæ liberè cunctis illic habitantibus nunci-